

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

Bona, Giovanni

Parisiis, 1678

§. 3. Veterum opiniones de sole. Verus Sol adorandus, qui est Christus.
Quis sit ignis obscurans solem. Curoremus hora prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9929

DIVINÆ PSALMODIA. CAP. VI. 183
nus, & gloria ejus in te videbitur. Cæterum de hoc ritu
præter Auctores supracitatos agunt (i) Clemens Ro-
manus, Tertullianus, Origenes, Nazianzenus, Epi-
phanius, Gregorius Nyssenus, Anastasius Nicænus,
D. Thomas, & alii recentiores.

§. III.

Veterum opiniones de sole. Verus Sol adorandus,
qui est Christus. Quis sit ignis obscurans so-
lem. Cur oremus hora prima.

I. **A**chilles (a) Tatius in Isagoge ad Arati Phœ-
nomena veterum physicorum ridiculas de sole
opiniones recenseret. Docet enim Plato solem ex igne
constare: quidam è terræ, ac nubium exhalationibus.
Philolaus eundem quicquid habet igneum, ac trans-
parens ex æthereo igne, qui supra ipsum est, exprime-
re putat, ac per quædam rimarum interstitia splendo-
rem ad nos transmittere. Epicurus pumicis speciem ha-
bere censet, atque ex igne per quædam foramina splen-
dorem ejaculari. Anaximander lucem ab eo, qui sit
rotæ similis, emitti sentit Heraclitus scaphæ similem
putat Stoici sphæræ, alii disco. Quidam pedalem,
alii octuplo, alii undevicies terra majorem faciunt.
Omitto Porphyrii placitum relatu indignissimum,
quod curiosus lector inveniet apud Georgium Pisidem
in Cosmurgia. Plures quoque de sole absurdas opinio-
nes referunt (b) Theodoreus, & Plutarchus. Mani-
chai solem navim esse asserebant de purissimâ Dei sub-
stantia fabricatam, ut refert (c) Augustinus. Narrat
(d) Cyrillus Alexandrinus Anaxagoram Philosophum
morte ab Atheniensibus damnatum fuisse, quod solis

i Cl. Rom. l. 2. const. apost. Tertull. in apolog. & l. adv. Valentin. Ori-
gen. Nyss. lib. de orat. a Achill. Tatius ad Arati phœn. c. 19. & 20. b Theo-
doreus. lib. 1. & 4. de cur. Græc. affect. plutar. de placitis philosoph. lib. 2.
cap. 20. c Aug. lib. 20. contra Faustum. d Cyril. Alex. lib. 6. a i Julianum.

circulum nihil aliud esse diceret, quam lapidem quemdam ignitum. Hic, ut refert (*e*) Iamblicus, tametsi de sole tam exigua sentiret, interrogatus aliquando cuius rei gratia natus fuisset, ut solem, inquit, contemplarer: Adeò externi luminis pulchritudine captus fuerat. Sed quam multipliciter peccarit, cum hoc dixit Anaxagoras, Cœlius (*f*) Lactantius ostendit in divinis institutionibus. E contra verò quidam sanctorum Patrum, quod B. Theodoro (*g*) Studia narrante didicimus, cum è cella prodiret, tegumentum capitì imponebat, ne aciem in solis jubar intenderet, causamque rogatus respondit: Ecquid est cur temporarium lumen videre velim? Et rectè quidem. Nam, ut ait Magnus (*h*) Gregorius, sancti viri postquam omnia præsentis vitæ oblectamenta despiciunt, præ illius lucis internæ dulcedine ab hac exteriori luce animum quasi à tenebris avertunt: multumque secum intrinsecus contendunt, ne hujus lucis, quæ fulget extrinsecus, delectatione rapiantur. Hi sunt, qui dicunt cum Propheta (*i*) Domino, Diem hominis non desideravi, tuis. Hi sunt, qui solam dilexerunt (*k*) Sapientiam, & proposuerunt pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius, candor est enim lucis æternæ, speciosior sole, & nihil inquinatum in eam incurrit. Hi sunt, qui verum adorant Solem, quem si quis sequitur, (*l*) non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite. Idcirco prima diei hora, statim ac sol materialis exortus est, Solem justitiæ adorantes in spiritu, & veritate gratissimum adulent orationum incensum, ut luce spirituali digni sint illustrari. Solis enim instar Deus exoritur, ait (*m*) Athanasius, illustrans uniuscujusque animum. Non omnium autem hæc dies est, sed eorum qui peccatis mortui sunt, & vivunt Deo. Vx illis quibus obtene-

e Iamblic. de vita pythag. l. 2. c. 9. *f* Lactant. l. 3. c. 9. *g* Theodor. Studia serm. 18. *h* Gregor. lib. 2. moral. c. 2. *i* Hierem. 17. 16. *k* Sap. 7. l. Joann. 2. 12. *m* Athan. serm. de Sabb. & circumcisione.

bratus est sol in ortu suo, super quos factæ sunt tenebræ palpabiles, & horribiles: (*n*) nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: Et dicent in die judicii, Ergo erravimus à via veritatis, & Sol intelligentia non est ortus nobis. Optimè (*o*) Basilius: Quemadmodum sensibile hoc lumen non omnibus similiter exoritur, sed habentibus oculos, & vigilantibus his item qui nullo interstite impedimento prohibentur, quin frui possint claritate solis primum adventantis: Sic & justitiae Sol verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non omnibus suum splendorem præbet, sed his qui vivendi formulam nihil ipso indignam exigunt.

II. Satagendum est igitur, ut primitias diei puramentis intentione offeramus Domino, ut qui ad principium diei nos pervenire fecit, sua virtute incolumes ad salutaria cuncta perducat: ne forte in nobis prophética illa comminatio adimpleatur (*p*) supercedidit ignis, & non viderunt solem. Ignis iste fumosus lucidissimum solis jubar obscurans, ignis superbiz est. ut explicat (*q*) Augustinus, ignis concupiscentiæ, ignis iracundia. Quantus ignis est? Super quem ceciderit non videbit solem Quem solem? Non istum, quem tecum vident, & pecora, & muscæ, & boni, & mali: est aliis sol, de quo dicturi sunt illi, Sol non est ortus nobis, quia vicit illos concupiscentia carnis. Supercedidit ignis, & non viderunt solem. Hunc ignem vocat (*r*) Bernardus ignem alienum, quem si quis in divino sacrificio offerre præsumperit, etiamsi patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate sua. Porro ignis alienus ait (*s*) Absalon Abbas, est luxuria, quæ est in cubilibus, & impudiciis: ignis alienus est iracundia, quæ est in dissensionibus, & contumelias; ignis alie-

m Athan. serm. de Sabb. & circumcisione. *n* Isaï. 13. 10. Psal. 81. Sap. 5. 6.
o Basil. in psal. 33. p psal. 57. *q* Aug. in psal 57. *r* Bernard. ser. 2. de putific.
s Absalon Abb. ser. 25. qui est 2. de pent.

nus est invidia, quæ est in detractione alienæ virtutis. Ignis alienus inquit (*t*) Ambrosius, est libido. Ignis alienus est omne incendium injustæ cupiditatis. Ignis alienus omnis ardor avaritiæ. Hic igni nemo munda-
tur, sed exuritur. Sacrificia verò sua alieno incendunt
igni, qui Deo serviunt non ex amore, sed pro lucro ex-
terno, ut Joannes (*u*) Rusbrochius scribit rerum di-
vinarum contemplator eximus. De eadem re sic dispe-
rit *x*) Paulinus sanctissimus Nostræ Episcopus. Ignem
mihi alienum videtur accedere, quisquis corporeæ,
vel secularis alicujus cupiditatis ignem in sacrario sui
cordis accendens audet appropinquare altaribus Do-
mini, quæ non recipiunt nisi illius ignis accensionem,
de quo ait; Ignem veni mittere in terram. Hic solus
ignis igni resistet æterno. Sed dicas mihi. Quomodo
possum hunc ignem alienum elongare à meipso, si in
peccatis natus sum totus & in peccatis concepit me
mater mea? Precare Solem justitiae, ut oriatur in te,
& præoccupet cor tuum in spiritu ardoris. Ipse venit
mittere ignem in terram, si hic ignis in altari cordis
tui semper ardebit alieno igni locus non erit; à facie
enim Domini extinguetur. *y*) Vox Domini interciden-
tis flamمام ignis. Quod si non dixeris, ait (*z*) Isaías,
juxta verbum hoc, non erit tibi matutina lux.

III. Ideò fit Primæ hoīæ celebratio, ut verbis utar
(*a*) Rabani Mauri, quia in exortu diei oportet ut So-
lem justitiae nobis oriri postulemus. Sic incipiente die
Evangelici præcepti non surdi auditores (*b*) primum
quærimus regnum Dei, & justitiam ejus, ut & cæ-
tera adjiciantur nobis. Sic (*c*) juxta legem quod pri-
mò nascitur Domino consecramus. Sic cum (*d*) san-
ctis mulieribus orto jam sole venimus ad monumen-
tum, ut mysticis orationum unguentis ungamus Jesum.
Sic cum (*e*) Rege Liricine interficiimus in matutino

t) Ambr. annot. 1. in Levit. *u*) Rusbroch. de tabern. fœderis cap. 116. *x*)
Paulin. Ep. 29. ad Aprium. *y*) Psal. 28. *z*) Isaï. 8. 20. *a*) Rab. Maur. de iustitiae
cler. lib. 2. c. 3. *b*) Matth. 6. 33. *c*) Exod. 13. 12. *d*) Marc. 16. 2. *e*) Psal. 100.

omnes peccatores terræ : quia, ut ait (*f*) Hieronymus, orto nobis Sole justitiae omnes statim cogitationes interficiimus, quæ ad peccata nos provocant, & de civitate mentis nostræ disperdimus peccatores. Sic (*g*) Sapientis admonitionem libenter audimus & efficaciter adimplamus ad ortum lucis adorantes Dominum, ne internæ dulcedinis manna exiguo solis radio calefactum tabescat. Sicut autem ovibus manè ad pascua exeuntibus necessarius est pastor, qui eas à lupis defendat ; ita etiam nos, ut docet (*h*) Amalarius, initio diei ad opera, & mandata Domini surgentes pastoris boni custodia indigemus, qui lupos abigat irruentes, de quibus legimus, & lupus rapit, & dispergit oves. Cæterum (*i*) hora ista sancta est, qua Dominus noster illusus, consputus, & alapis cæsus Pilato propter nos ligatus astitit, ad omnem contumeliam, & adversitatem patienter sustinendam suo exemplo nos erudiens. Hac item hora post gloriosam resurrectionem in (*k*) magna piscium captura, qui cum tanti essent non est scissum rete, Ecclesiæ Catholicæ propagationem præfiguravit, & veram carnis resurrectionem in piscis assi comeditione evidenter ostendit. Sant qui scripserint horam Primam celebrari in memoriam Dominicæ Resurrectionis : at omnium rectè sentientium fides est Christum ante solis exortum surrexisse.

§. IV.

De matutinis salutationibus. Prima quando fuerit instituta, & qua hora persolvi debeat.

I. **M**agnus (*a*) Leo, quem (*b*) Abbas Spanhemensis Ecclesiasticeæ dictionis Tullium appell-

f Hieron. lib. 2. in Isaïam. *g* Sap. 16. 28. *h* Amalar. lib. 4. de div. offic. cap. 2. *i* Joan. 10. 12. Matth. 27. 1. *k* Joan. 21. *a* Leo ser. 7. de Nat. *b* Trithemius de Script. Eccles.